



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

SS. Theodora & Dydimvs Martyres. 28. Aprilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

2. Qui mentitur, injuriam facit proximo, eum fallit, imò quantum in se est, humanam dissolvit societatem, Si omnes homines mentirentur, quanta perturbatio? Injuriam etiam facit Christo: Nam Christiani non modò sunt membra Christi, sed organa vocis ejus. Quoties mentiris? in memoriam revoca mendacia tua.

3. Sunt quidam homines, quorum vita perpetuum est mendacium; simulatâ probitate omnibus imponunt. Quàm pauci volunt videri, quod revera sunt? Novit te Deus: frustra celas homines peccata tua; Deus tuus erit iudex; aliquando omnia patebunt; larva detrahetur. *Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest; florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest.* Aug.

## SS. THEODORA & DYDIMVS Martyres.

28. Aprilis.

*Diligatis vos invicem sicut & ego dilexi vos.* Joannis cap. 13.

**F**Abulam damus, dum vivimus, alius alio pulchriorem: pulcherrimam DYDIMVS & THEODORA dederunt, Hæc dum parvulum Tyrannum amorem fugit, in maiorem alterum Maximianum Imp. incidit.

T 5

judetur

iubetur aut fidem, aut Virginem ponere.  
 Quid ageret? Martyr moreretur, non Vir-  
 go? Virgo viveret, non Martyr? Placuit  
 Virgini martyrem sociare. Abripitur in  
 cellam infamem: sed primus DYDIMUS ir-  
 ruit in militis persona vultum amantis pra-  
 ferens: instruitur elegantissima scena: mu-  
 tantur vestes; sub milite evadit Virgo: sub  
 Virgine miles apprehenditur. Sed nunquam  
 magis illa Virgo, quam cum sic foemina  
 fuit. Dum enim hic ad supplicium ducitur,  
 adest illa, & hrem ecce de morte movet.  
 Vadem ait se pudoris, non mortis legisset:  
 hanc vel fugam meruisse; esse certè in Vir-  
 gine ferro locum, si injuria non fuerit: sed  
 nec animos deesse, quos cum armis sump-  
 sisset; demum si THEODORA addicta sit  
 morti, THEODORAM se esse; si DYDIMUS,  
 etiam hunc induisse. Contra querebatur  
 ille, ingraram benefactori praemium invi-  
 dere; arma se exuisse, non militem, stolam,  
 induisse, non foeminam: turpe fore viro-  
 regum vertere, si sic mulier pugnaret; illi  
 plus lactis, sibi plus sanguinis naturam de-  
 disse, se denique (sive DYDIMUS jam offer,  
 sive THEODORA) se ad mortem damnatum  
 clamabat. Quid multis? duo pugnarunt, &  
 cetera

cernentibus causam licitorib<sup>9</sup>, ambo vicerunt.

ES D. Ambr. l. 2. de Virg.

## M E D I T A T I O

### De Sanctis amicitiiis.

1. **O**Mnes verâ charitate, paucos arctâ familiaritate complectere: Amici tui sint Dei amici, si enim tales habeas, eorum colloquiis virtutē docebere: fideles sunt amici, qui Deum timent; qui verò non timent, infideles, Enimverò qui praestarent tibi fidem, quàm Deo negant? An plura tibi debent, quàm Deo? An à te majora praemia sperant? An atrociora timent supplicia?

2. Finis amicitiae tuae esse debet suavis ac sancta vita, ideo debes cum alio jungere amicitiam, ut alter alterius consilijs, ac exemplis magis, magisque in virtute proficiat. Amicitiae, quarum finis est lucretū, compositio, libido, brevi dissolvantur. Quātum laboras, ut amici tui sancti fiant? An tu ipse sis sanctior consuetudine amicorum tuorum? An contra eorum vitia, quàm virtutes magis imitaris?

3. Effectus amicitiae tuae sunt, adesse amico sive corporis, sive animi miseris prematur; abstinere oblectamentis, bonaque, & vitam ipsam profundere, tum, ut amicum è miseris eripias, tum maximè ut ex peccatis, ac peccandi occasionibus. In omnibus amicitijs tuis Jesus locum habeat, earumq; sit & nodus & vinculum. *Elige illum amicum pro omnibus amicis tuis, qui, cum omnia subtrahenda fuerint, salu servabit in die sepulturae tuae, Bern.*

S. CATHA